

ptismatis obligatio, si postmodum fuerit per Evangelii prædicationem nota & promulgata?

Secundo id probant ex S. Augustino, totum id data opera propugnante *Epist. 19. ad S. Hieronymum*, & ex S. Bernardo *Tract. ad Hugonem Victor.* quo ex instituto quempiam tunc temporis primam opinionem defendentem, resellit.

Quare quod dicitur *Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum*, non denotat obligationem ex tunc impositam hominibus, sed suo tempore, dum videlicet promulgata lex esset imponenda. Primo: quia verba illa in privato sunt dicta. Secundo: quia verba obligationem Mosaicæ legis post ea verba continuisse: tum quia Christus Paschata celebravit servavitque Sabbata, tum quia leproso mundatos ad Sacerdotes Sacrificium oblaturos misit, tum quia iussit ut Judæi facerent quæ dicerent, sedentes super Cathedram Moysis.

Neque obest, Apostolos post ea verba baptizasse. Nam baptizabant quidem, baptismum tamen minime necessarium tunc temporis prædicabant.

Multo minus obest, quod legitur *Matth. ult. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Nam tunc lex solummodo lata est atque sancita; at quia factis, ut diximus, non est, legem ferri, nisi etiam promulgatur, consequens est, baptismatis obligationem post factam Evangelii prædicationem cepisse, cum per hanc tantum & nota fuerit, & promulgata.

Illud itaque certum indubitatumque, non antea baptismum obligare cepisse, quam legis Evangelicæ promulgatio fieret.

At illud nunc majori studio quærendum venit: an tunc quoque Mosaicæ legis ritus obligare desierit? quæ altera propositæ controversiæ pars est. Difficultatem creat non modicam, quod Apostoli, quo tempore legem Evangelicam de suscipiendi baptismate Jerosolymis, totaque Judæa prædicabant, legis Mosaicæ ritus bene multos observarent: quod illi minime facturi fuissent, si jam tunc ritus illi obligare desissent, dum suscipiendi baptismatis cœperat obligatio. Certe tunc Paulus circumcidit Timotheum *Act. 16.* Idem suadente Jacobo, Judæorum purificationem servavit *Act. 2.* Idem sese Nazæreorum more totondit. Petrus etiam & Barnabas ciborum discretionem servabant *ad Galat. 2.*

In hujus gravissimæ difficultatis resolutione dissentiunt inter sese Hieronymus & Augustinus ut liquet ex mutuis illorum *Epistolis 8. 9. 11. 19.* inter Augustinianas.

Hieronymus enim duo duntaxat sub Christo D. tempora distinguit. Primum quod effluxit ante passionem, in quo cæremoniæ legales nec erant mortuæ, nec mortifera: aliud tempus, quod statim Christi mortem secutum est, in quo legales cæremoniæ & mortuæ erant, & mortifera. Idcirco respondet, Apostolos post Christi mortem hujusmodi cæremonias utpote mortuas & mortiferas, nunquam observasse secundum veritatem; sed per simulationem quamdam piam, ne Judæis scandalo essent: non quod actus hujusmodi vere non facerent, sed quod non facerent tanquam actus cæremoniales veteris legis. Veluti si quis modo carnem præputii sui circumcideret, non religionis causa, sed sanitatis, vel ad carnis mundiciam, ut Turcæ faciunt, hujusque sui sententiæ auctores laudat Hieronymus Origenem, Didimum, Apollinarem, aliosque bene multos.

Augustinus e contra, simulationem omnem in materia religionis, Apostolorum pietate ac religione prorsus indignam arbitratus, aliam solven-

dæ difficultatis viam arripuit. Quare non duo, sed tria tempora distinguenda existimavit. Primum perinde ac Hieronymus posuit ante Christi passionem, in quo cæremoniæ Mosaicæ legis nec mortuæ erant nec mortifera. Secundum a Christi morte ad sufficientem Evangelii publicationem, in quo legales cæremoniæ mortuæ quidem erant, nondum tamen mortifera. Tertium post sufficientem Evangelii publicationem, in quo legales cæremoniæ & mortuæ, & mortifera evaserunt. Quo posito reponit Augustinus, Apostolos legales cæremonias medio illo brevi tempore observasse, quo licet mortuæ essent, non erant tamen mortifera. Observasse autem secundum veritatem uti legales cæremonias, sed ut extremum illis honorem deferrent, utque Synagogam cum honore ad tumulum ducerent; non eas tamen observasse, ut ad salutem necessarias, utem in eis spem salutis reponerent, suamque ex illis ac per illas justificationem obtinerent.

Certe Apostolos medio illo brevi tempore legales cæremonias honoris gratia duntaxat, non tamen ex necessitate & obligatione observasse ex multis capitibus liquet.

Primo: Quia Apostolus ipse, qui Timotheum circumcidit, quia ex Matre Judæa natus esset, Titum natione Gentilem non circumcidit.

Secundo: Quia Petrus uti legitur *Act. 15.* non est passus legalia gentilibus imponi.

Tertio: Quia Jacobus noluit inquietari, & iugo legi subijci eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.

Quarto: Quia Apostolus Petrum discretionem ciborum servantem cum Gentilibus offensione, publice reprehendit *ad Galat. 2. Si tu cum Judæis sis gentilibus vivis & non judicæ: quare cogis gentes judicare?*

Utrumque tamen se res habet, & quamlibet seu Hieronymi, seu Augustini sententiam sequi lubeat, objectam de legalibus difficultatem solutam habes: ne forte quis inde colligat, necdum tunc baptismum obligare cepisse, si tunc quoque legalia obligabant; Respondendum enim, baptismatis obligationem, etiam tunc temporis incepisse, aut quia circumcisio aliæque legales cæremoniæ ab Apostolis servabantur simulatorie duntaxat, ne Judæis scandalo essent, ut voluit Hieronymus; aut ad honorem duntaxat servabant, ut voluit Augustinus. Esti nondum tamen cepisset baptismatis obligatio, dum ab Apostolis secundum veritatem legales cæremoniæ servabantur, tanquam necessaria ad salutem. Quod certe nunquam illi fecerunt, ex quo cepit Evangelicæ lex Jerosolymis publicari.

Repones fortasse, Apostolos nequidem ad honorem, & ad breve tempus legalia servare potuisse post Christi passionem, etiam antequam lex Evangelicæ publicaretur; id, inquam, non potuisse sine gravi mendacio in materia Religionis. Veteris quippe legis Sacramenta umbra erant futurorum, ut ait Apostolus; Christumque promittebant nasciturum, passurum, resurrecturum, ut habet Augustinus *lib. 19. contra Faustum cap. 16.* quæ tunc certe futura non erant, sed impleta.

D. Thomas in hujusce difficultatis resolutione observat, Christum bifariam dici posse nasci, pati & resurgere, vel secundum rem ipsam, vel secundum publicam estimationem. Equidem initio Evangelicæ prædicationis, dum jam mortuus erat, mortuus in natura propria reipsa dicebatur, non secundum publicam estimationem, quia eum & passurum & moriturum ab omnibus putabatur, quia ipsius mortem nesciebant; proindeque mendaces illi ritus minime dicendi sunt, quia non re, sed se-

cundum estimationem Christum præfigurabant moriturum.

Præterire hoc loco nefas arbitror ingentem difficultatem, quæ contra Augustinianæ sententiæ principium fieri potest: Si statim a Christi morte legalia fin minus mortifera, at saltem mortua erant, hoc est ad salutem inutilia, peribant ergo Infantes Judæorum, qui Christum venturum bona fide sperabant, in remotis Regionibus extra Judæam ab eo tempore nati, circumcidebantur, & sine baptismo decedebant.

Schotus hoc argumento male vexatus, respondet, eos fuisse salvatos in fide parentum, quemadmodum in lege naturæ pueri nondum circumcisi morientes sola fide parentum salvabantur, & liberabantur a peccato.

Aliam tamen responsionem assertit D. Bernardus *Tract. ad Hugonem Vic.* ea de re consultus, scilicet medio illo tempore, mortua quidem fuisse legalia, non tamen Judæis omnibus, hoc est iis fuisse mortua, quibus novæ legis Evangelicæ instituta innotescere cœperant: Non item aliis, qui legem Evangelicam adhuc inculpabiliter ignorabant; adeoque istorum filii ad salutem proderat circumcisio; quia illis ac pro illis mortua minime censebatur.

Nova hic oritur difficultas, de effectibus baptismatis, quæ sicuti intra breve spatium nequit a nobis expediri: idcirco mittimus in sequentem Dissertationem, agitandam.

## PRÆLECTIO XX.

De Effectibus Baptismatis dissertitur.

Quandonam, quæve distincte occasione fuerit institutum Baptisma, quo distincte tempore cœperit obligare, in superiori Dissertatione multis evincimus: Restat nunc ut de eius effectibus singularem verba faciamus; ne quid desiderari a nobis possit ad cumulatum Sacramenti Baptismatis elucidationem.

Baptismi itaque effectus quatuor de more distinguunt Theologi, ad quos ceteri quoque revocantur. Primo: Plena cujusque peccati remissio. Secundo: Relaxatio peccati peccato debita. Tertio: Infusio gratiæ sanctificantis & virtutum. Quarto: Charactervis impressio, Regeneratiōnem, renovatio, illuminatio, adoptio in filium Dei, jus ad Regnum Cælestē, aliæque id genus, diversa duntaxat nomina sunt, idem plane significantia, quod laudati quatuor effectus, aut certe diversi tituli sunt, qui peccati remissionem, relaxationem peccati, infusionem gratiæ consequuntur.

Primo ergo; plenam cujusque peccati remissionem in Baptismo fieri, extra dubium est, *Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*; & in Symbolo Nicæno, consistit unum baptismum in remissionem peccatorum. Quamquam eam remissionem non vera peccati deletionē fieri putent Lutherani & Calvinistæ, sed sola non imputatione peccati removens, quemadmodum in alia quacumque justificatione peccatoris fieri sibi fingunt. Quem errorem in Tractatu de Justificatione confutavimus.

Secundo: Peccati cuiusvis peccato debita relaxationem in baptismo etiam fieri, Catholica semper agnovit Ecclesia, quæ idcirco recens baptizatos adultos, si ex hac luce protinus rapiantur, ad cælestem felicitatem transvolare, nulla in igne purgatorio soluta peccata, sæpius definiit: imo nullas omnino recens baptizatis adultis peccata subeundas injunxit. Verum quo tandem modo quoque sensu ea peccata cuiusvis relaxatio fiat, dif-

ficillime explicatur, ac vix a subtilissimis Theologis intelligitur. Constat enim vix moriendi necessitatem, famem, sitim, corporis desidiationem, morbos, aliisque id genus vitæ miseria, & ærumnas, originalis peccati poenas esse, quæ in statu innocentie profecto non erant; quæ tamen perinde suscepto baptismate in hominibus remanent. Quomodo ergo omnis poena originali peccato debita relaxatio fit in baptismo? Quod de quatuor plagis ex originali peccato consecutis dici potest.

Eo ut sese nodo exolvant Theologi nonnulli, reponunt, non esse illa omnia originalis peccati poenas, sed nativam humanæ naturæ conditionem.

At aberrant Theologi illi toto ostio. Quia etsi forte talis esset nativa conditio, Deus tamen singulari gratia, hominem iis omnibus miseriis immunem considerat, nec nisi per peccatum primi parentis effectum est, ut in eas miseriae homines laberentur.

Quare ea missa Theologorum illorum opinione, Respondeo, poenas originali peccato debitas distinguendas esse; Aliæ sunt poenæ vitæ præsentis, aliæ poenæ sunt vitæ futuræ: harum potius posteriorum poenarum integra relaxatio fit, non priorum, atque hic est sensus secundi effectus baptismatis. Hoc inquirere videtur D. Augustinus *sum in Enchirid. Cap. 66. & lib. 3. contra Julianum cap. 6.* poenas docens, *propter futurum iudicium & propter spem futurorum bonorum; non ad retentionem & adeptiōnem presentium.* Tum in *lib. 1. de peccatorum meritis Cap. 20. & lib. 2. Capp. 14. & 15.* docet plenam fieri remissionem quatenus post hanc vitam, nihil de regeneratis hinc dum restat.

Certe præsentis vitæ poenas, tametsi ex originali peccato consecutas, removeri perinde non debere etiam suscepto baptismate probat Doctor Angelicus *3. part. quest. 52. art. 5.* Primo: quia per baptismum renovantur homines secundum spiritum, non secundum carnem, ad quam spectant poenalarum vitæ præsentis. Secundo: quia homo per baptismum fit Christi membrum, adeoque debet illi similis fieri. Tertio: quia poenæ illæ relinquuntur ad agonem & materiam victoriæ.

Si sic est, dices, non ergo per baptismum fit perfecta reconciliatio cum Deo, nec sincera illius est amicitia cum regeneratis, si in hac vitæ poena luenda supersunt hominibus baptizatis.

Huic tamen aliquandæ difficultati satis sit respondere, remanere quidem poenas illas non odio animoque vindictæ, sed studio purgationis. Idque causa est, cur in baptismo adultorum nulla illis imponitur satisfactio, ut imponitur in Sacramento Poenitentiae; quia poenæ illæ præsentis vitæ non relinquuntur ad vindictam peccati, sed ad purgationem & probationem; & id quidem immobili decreto, adeo ut fieri non possit præsentium poenarum commutatio & compensatio, ut fit in poenis vitæ futuræ.

Nunc ad tertium Baptismatis effectum exponendum accedo, infusionem scilicet gratiæ sanctificantis, atque virtutum. Quæ in re non modicam difficultatem Theologi recentiores experiuntur. Quamquam enim exponere facillimum sit, quo pacto ea gratiæ sanctificantis & virtutum Theologicarum infusio in Baptizatis adultis fiat, vix tamen, exponi potest, quo pacto ea quoque fiat in parvulis, dum recentes ab utero baptizantur.

Gratiæ enim sanctificantis & virtutes in se non nisi habitus esse possunt, nec enim virtutum actus infun-

Infundi dicuntur, nec actum eliciendorum capaces sunt parvuli: vix autem intelligi potest, parvulos baptizatos virtutum habitibus, E. G. habitu fidei donatos esse. Si enim eo habitu instructi atque donati essent, saltem ex quo ad rationis usum pervenirent, fidei actus per se absque nova institutione edere possent; Cum habitus agendi promptitudinem & facilitatem importent; uti plane vir doctus & habitu scientiæ informatus. Quod tamen videmus esse falsissimum: nisi enim pueri baptizati instituuntur, edoceanturque dum adoleverint, nihil credunt; imo nec majorem ad credendum facilitatem habent, quam si nunquam baptizati fuissent. Quomodo ergo habitu fidei donati sunt?

Accedit, quod Augustinus, sexcentis admodum locis exponens, quo titulo, quave ratione, pueri baptizati, fideles dicantur, & sint; numquam confugit ad habitum fidei illis infusum, ratione cuius fideles esse dicantur: sed vel illos fideles dici, respondet, fide non quidem propria, sed aliena, gestantium nimirum, asserentium, seu ut loquimur, patrinorum, aut certe fide ipsius Ecclesiæ, cuius membra sunt effecti; vel fideles illos dici propter susceptum fidei Sacramentum, ut videtur *lib. 1. de Peccatorum meritis Capp. 19. & 27. Serm. 14. de verbis Apostoli, & Epist. 23.*

His aliisque momentis induci Theologi nonnulli sæculi undecimi censuerunt, parvulis nec infundi gratiam in baptizate, nec virtutes, sed characterem duntaxat illis imprimi, cuius tamen virtute, postquam adoleverint, gratiam atque virtutes consequantur.

Refelluntur hi tamen: Primo, quia sic nec munderentur ab Originali peccato, nec iustificarentur ante adultam ætatem. Secundo, quia intelligi nequit, quo pacto character, qui etiam in maximis peccatoribus esse potest, Gratiam sanctificantem & virtutes producere possit in parvulis dum adoleverint. Tertio, quia & id etiam repugnat experimento: cum pueri illi, nisi de novo doceantur dum adoleverint, nihil credant, quamquam baptismali characterè insigniti supponantur.

Alii tempore Concilii Viennensis censuerunt, remitti quidem illis peccatum originale, sed absque infusione gratiæ & virtutum, per solum Spiritum S. illis inhabitantem, ac vices habituum gerentem.

At ut minus probabilis sententia illa explosa est a Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7. & can. 11. sess. 7. Can. 7.* quia sic non esset in illis vera & formaliter inhærens iustitia: nec Spiritus S. vices habitus gerere potest.

Idcirco ad oppositæ difficultatis solutionem dicendum, gratiam sanctificantem, virtutesque parvulis infusas in baptizate, habitus dici, non tamen rigore Philosophico, quasi promptitudinem & facilitatem inducant ad aduasciendos: sed habitus dici, quod sint qualitates fixæ ac permanentes; quiescentes tamen ac veluti sopitæ, quæ idcirco ad actus prodire non possunt, nisi nova institutione, atque doctrina, novoque Catechismo, dum pueri adoleverint, excitentur.

Augustinus autem alienam duntaxat in pueris baptizatis fidem, agnoscentis, illis virtute baptismatis applicatam & appropriatam; de fide actuali loquitur, quæ in pueris propria nulla est, sed aliena. Idcirco vero ad fidem habituales non confugit, ut pueros fideles esse ostendat. Primo; quia ea loquendi formula ætate illa nondum invaluerat. Secundo; quia ordinariè nomine habitus, intelligitur non modo qualitas permanens & quie-

scens, sed promptitudo & facilitas ad agendum inducens. De cætero quantum ad rei veritatem, habitus permanentes iustificantes in pueris agnovisse Augustinum, liquet *ex lib. 3. de peccatorum meritis cap. 2.* dum ait: *sicut corpus mortis pueros in Adam generavit peccatores, sic eos vita Spiritus, in Christo regenerat fideles.*

Quartum eumque postremum baptismatis effectum attingimus, quem characteris impressionem de more dicunt, cuius potissimum causa fit, ut baptismus iterari omnino non possit; uti nec alia iterantur Sacramenta, quæ characterem suscipientibus imprimunt.

Quocirca tamen fatendum est bona fide, baptismum nequidem fore iterandum, etsi nullum imprimeret characterem. Adhuc enim aliæ rationes obstant, quominus ea fieri posset iteratio.

Prima; quia baptismus spiritualis generatio est, unde sicuti nemo potest dupliciter carnaliter generari; ita nequit dupliciter quis spiritualiter generari.

Secunda; quia peccatum Originale, ad quod delendum baptismus est institutus, non iteratur nec potest secundo contrahi; ita neque baptismus ad quod delendum fuit potissimum institutum iterari unquam poterit.

Tertia; quia baptismus datur ad figuram & imaginem mortis Christi: iuxta illud Apostoli *ad Rom. 6.* *quicumque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Christus autem semel mortuus est.

Jam vero ex quo semel character baptismalis impressus est, quam sacrilega sit Rebaptizatio, non unum alterumve momentum evincit, sed longe multiplex. Evincitur id in primis *ex cap. Rebaptizari dist. 4. de consecr. Rebaptizare hereticum hominem omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum inhumanissimum scelus est.* Et *ex Leone Magno Epist. 37.* ubi *inexpiable crimen* dicitur.

Secundo evincitur ex poenis, quibus castigatur hoc crimen secundum publicas Ecclesiæ leges. Quia excommunicationis & depositionis poena plebuntur Rebaptizantes in Concilio 4. Lateranensi; Nempe Græci Schismatici, qui baptizatos a Latinis, rebaptizare præsumperant.

Tertio; quia non modo rebaptizantes, sed & rebaptizati, irregularitatis poena plebuntur, *cap. qui hic, & cap. eos, dist. 4. de consecr. & cap. licet; extra de baptismo, & ejus effectibus.*

Quarto; quia qui rebaptizantibus ministerium præstant, si Clerici inferiores sint, ad superiores Ordines provehi prohibentur *cap. ex litterarum, extra de Apostatis.*

Quinto; quia etiam per leges Imperiales poena capitis plebitur crimen hoc *Tit. ne sanctum baptismum reiteretur in Cod. Justin.*

Notandum tamen, iteratum baptismum minime censendum esse, cum baptizantur ii, quorum baptismus incertus est: quia non censetur iteratum, quod non præsumitur esse factum: Unde Ecclesiæ Canonibus eos tantum baptizari jubent, de quorum baptismum dubium est; sic *cap. placuit dist. 4. de consecr. Quando non inveniuntur certissimi testes, de baptismo parvulorum. cap. si nulla; eodem titulo, de parvulis qui a parentibus relicti sunt, si nulla extant judicia suscepti baptismatis, tandem cap. cum itaque & cap. parvulos; eodem titulo, de parvulis in captivitate adductis, qui baptismum non reminiscuntur se esse consecutos.*

Porro hi omnes secundum præfatum Ecclesiæ disciplinam absolute baptizabantur, sine ulla conditione apposita, ut constet ex laudatis canonibus

petitis *ex Concilio V. Carthaginensi.* *Ex S. Leone Magno, & ex Gregorio III.* At nunc sub formula conditionata baptizantur.

Conditionatam hanc baptizandi formulam in casibus dubiis, plerique inductam putant ab Alexandro; propterea quod fuit ejus nomine legatur *cap. de quibus; extra de bapt.* At constat esse antiquiorem, & jam a sæculo X. institutam, *ex libro 5. capitularium cap. 184.* cuius hæc verba sunt: *de quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimode absque ulla scrupulo baptizantur; his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Cæterum nisi fit prudens dubium de nullitate baptismatis, quod facta diligenti inquisitione, adhuc maneat; rebaptizationis rei sunt, quicumque etiam sub conditione baptizant; cavere itaque sibi maxime debent Parochi, ne domi ab obstetricibus, aliove forte fortuna baptizatos, sub conditione baptizent, nisi præmissa diligenti inquisitione, defectum aliquem ab obstetricibus admissum esse deprehenderit. Nec se conscientia tutos putare debent, quod nonnisi sub conditione baptizent: Nam & hoc ipsum vetitum est tanquam injuriam sacramento, ubi non est morale dubium de nullitate baptismatis, ab obstetricibus ministrati. Ita S. Carolus Borromeus *Institut. cap. de Bapt. Concilium Tridentinum, Concilia Gallicana longe multa 16. sæculo celebrata, Rhemensis, Carnotensis, Aquisensis.*

Eandem inquisitionem præmittere necesse est in baptizate puerorum expositorum: *Ex Canone 3. Concilii Londinensis anni 1020. & ex Concilio III. Mediolanensi sub S. Carolo.* Alias inciditur in crimen rebaptizationis. Eandem præmittere oportet in baptizandis redeuntibus ab hæresibus. Si enim constet, baptismum administrari solitum esse in ea sæcula rite ac valide, ne quidem sunt sub conditione rebaptizandi. Uti a S. Pio V. & Concilio Gallicano sæculi 16. Aquisensis, Ebroicensis, Rhemensis, Rotomagensis, Turonensis, & Tolosano statutum fuit.

Multo gravius in Ecclesiæ leges impingunt deoon iterando baptismate, imo sacrilege rebaptizationis rei sunt multo magis, qui certo & indubitanter baptizatos, secundo baptizant; non illorum quidem gratia ut ipsi regenerationis beneficium accipiant, quod jam supponuntur accepisse; sed in gratiam mortuorum; quia sine baptismate quod optaverant, ex hac vita sublati sunt. His scilicet prioribus Ecclesiæ sæculis invaluerat apud hæreticos nonnullus abusus, ut si quis non baptizatus, apud eos moreretur adultus, alterum loco ejus illiusque vice ac pro ipso baptizarent. Quod quidem hoc stratagemate plane comico exequabantur. Mortuum sine baptismate in lectulo reclinabant, & stragulis invollebant: tum alterum bene valentem subtus lectulum occultabant; ac postea ad lectulum accedentes, mortuum, quasi viveret, interrogabant, vellet ne baptizari. is vero qui subtus lectulum latitabat, respondebat velle se omnino baptizari: ac tum demum illum ipsum vice mortui ac pro mortuo baptizabant; eoque ipso baptismate baptizatum regeneratumque spiritualiter mortuum existimabant. factum vere comicum refert Theophilactus in *commentar. ad caput 15. Epist. 1. ad Corinth.*

Infantum illum errorem, ineptumque vivos pro mortuis baptizandi morem Marcionitis tribuunt Tertullianus *lib. 5. contra Marcionem*, S. Joannes Chryostomus *Hom. 4. in Epist. 1. ad Corinth.* Theophilactus & Hilarius Diaconus. Eundem Cerinthianis tribuit S. Epiphanius.

Quotquot eo infans laborabat errore, Apostoli Sery Tom. IV.

li Oraculo nitebantur perperam intellecto. *1. Cor. 15. Quid facient hi, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Quasi tot inter momenta quibus Apostolus probat eo loci futuram mortuorum resurrectionem, hoc etiam urgeret: Multi baptizantur pro mortuis, ut & ipsi vel hoc pacto spiritualis regenerationis beneficium accipiant: at frustra id fieret, si mortui non resurgerent: igitur mortui pro certo resurgunt. Ex qua Apostoli argumentandi ratione Marcionitæ & Montanistæ colligebant, probari ab Apostolo baptismum pro mortuis aliquando susceptum.

At quis non videat, quam inepte id ex Apostoli argumentatione colligerent Marcionitæ & Montanistæ; etsi baptismum pro mortuis susceptum, ex quo argumentum delibavit Apostolus, illud esse fateremur, quod ille stulti & inaniter frequentabant. Argumentum enim Apostoli, esset tantum argumentum, ut Dialectici loquuntur ad hominem; ex falso nempe principio petitum, sed ab Adversariis admissio atque probato. Cum enim jam tunc Apostoli ætate, Cerinthiani ex inferis eripuissent, qui & futuram hominum resurrectionem negabant, & vivos quandoque pro mortuis baptizabant: potuit maxime Divinus Apostolus, alterum illorum errorem ex altero impugmare; errorem collati baptismatis pro mortuis.

Quamquam nihil est cur ista moremur, ad momentum illud penitus enervandum, quod ex obscuro illo & ancipiti Apostoli Oraculo delibatur; in quo, si rem totam penitus perpendamus, hypothesim spectat Apostolus toto Cælo diversam.

Quid etenim illud est, quod ait Apostolus: *Baptizari pro mortuis?* Unde & ipse Argumentum petit ad probandam futuram mortuorum resurrectionem? Geminam explicationem proferunt Ecclesiæ Patres.

Prima est S. Joannis Chryostomi, Theodoretici, Theophilacti, *baptizari pro mortuis*, est baptizari in extremo mortis periculo, adeo ut baptismus non sit valiturus nisi pro mortuo suscipiente, seu pro statu futuro post mortem. Ex quo evenit ut primis Ecclesiæ sæculis nonnulli fideles fuerint, qui cum adissent, baptismum tollere omnem poenam, usque ad extremum suæ vice periodum procastinare baptismum soliti erant, ut ab omni purgatorii poena liberarentur, & hi Clinici vocabantur, quia cubantes in lectulo baptizabantur. Hi ergo dicebantur baptizari pro mortuis, hoc est pro semetipsis, pro eo nempe statu, in quo inter mortuos venturi erant, non pro statu vite suæ præsentis.

Alteræ explicatio: *Baptizari pro mortuis*, id est affligi, cruciari pro illis, & satisfactoria opera ad illorum expiationem offerre, poenas pro illis ferre ac sustinere: quod certe inutile esset, si mortui non resurgerent. Baptismus enim pro afflictione, poenitentia, dolore, passione, cruciati in Scripturis sæpius accipitur. *Marci 10. Calicem autem, quem ego bibo, bibetis: & baptismo, quo baptizor, baptizabimini.* Quin etiam Poenitentia baptismus laboriosus a SS. Patribus appellatur.

Ex quibus omnibus illud certo consequitur, nihil ad præsens institutum valere jactatum illud Apostoli dictum: *Quid facient hi qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Neminique licere Baptismatis Sacramentum secundo suscipere etiam pro altero quocumque seu mortuo, seu etiam vivo: atque ita iterari nulla omnino ratione posse, ob id maxime quod characterem indelebilem suscipientibus imprimat.

## PRÆLECTIO XXI.

*Sufceptores seu Patrimos in baptismo, quo distincte tempore, & quor adhibere consuevit Ecclesia; quare de causa varia persona ab eo officio obviando per sacros Canones arcantur.*

Quos ex recenti loquendi formula Patrimos hodie dicimus in sacri Baptismatis administratione, hos gestantes, offerentes, susceprores, sponsores, seu fidei iussores, veteres nuncuparunt: Gestantes, inquam, & offerentes, quia pueros baptizandos gestabant manibus, & Sacerdotibus offerbant: Susceptores, quia baptizatos ex sacro fonte, in quo fuerant immerfi, suscipiebant; Sponsores, seu fidei iussores, quia puerorum vice ac nomine fidei professionem emittebant; & abrenunciaciones Diabolo, mundo, & omnibus pompis ejus, edebant. Nunc vero Patrimos, & Compares de more dicimus; Patrimos inquam, quia Patres Spirituales baptizatorum evadunt; Compares vero, quia Patris dignitatem cum baptizatorum genitoribus partiuntur.

Ecclesie consuetudinem de adhibendis in baptismo Patrimos seu susceptores ab ipsis Apostolorum temporibus aliqui reperunt, sed futuri prorsus ac plane nullo fundamento; auctoritate scilicet libri de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7.

Dicerem verius consuetudinem illam invaluisse cadente secundo Ecclesie saeculo. Quandoquidem Tertullianus lib. de baptismo cap. 16. hac habet: *Quid necesse est sponsores etiam periculo ingerere? Nimirum ut probet, parvulos ante adultam aetatem baptizandos non esse. Florebat vero maxime consuetudo illa saeculo quarto cadente, & quinto inueuit, ut liquet ex D. Augustino Epist. 13. ad Bonifacium.*

Hujus ritus intuituendi rationem insinuat D. Thomas 3. part. quest. 67. art. 7.

Unde potissimum patrinorum officium est, pueros illos spiritaliter nutrire, educare, docere que fidei sunt, & Religionis. Qua de causa varie personarum, ab eo officio obeundo per sacros Canones arcantur.

Primo: Arcantur Monachi *Canon non licet dist. 4. de consecr. cujus ratio est solitaria vita, quam ducunt; aliam etiam rationem adducit Canon Monachi, eadem distinctione; ne scilicet Monachi osculentur feminas: ex quo intelligimus, in more olim positum fuisse, ut pueri patrinus matri puerperæ osculum defigeret.*

Secundo: Arcantur quicumque Regulares, ex Concilio Rhemensi, Aquisi, Matifconeasi, Bituricensi, saeculo 16. celebratis.

Tertio: Arcantur Parochi in propriis Parochiis, Episcopi in suis Diocesisibus ex Institutione S. Caroli Borromæi, & ex Concilio Rhemensi, & Aquisi. Ratio est, quia susceptores sunt veluti inferiores actores, & supplices in baptismo; que tamen disciplina vix alicubi observatur.

Quarto: Arcantur ex Institutione S. Caroli, ex Concilio Bituricensi, & Aquisi, & ex Rituali Romano, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt; item ex eadem S. Caroli institutione arcantur peregrini, hospites ignoti, qui que remotum habent domicilium.

Sexto: Hæretici, Excommunicati, interdicti, publici criminis rei, insanæ, ex Sanctione Concilii Mediolanensis, aliorumque Conciliorum decimo sexto saeculo celebratorum.

Septimo: Pater, & Mater ipsiusmet baptizandi, *Cap. dictum est causa 30., & Cap. Si Vir; extra de cognitione spirituali.* Ratio est, quia alius debet esse Pater Spirituales a Carnali.

Si quis hic fortasse quaereret, quot susceptores in collatione baptismatis requirantur. Respondeo duo ut summe in quocumque baptismo, masculinum, & feminam esse posse. unicum etiam sufficere ex sanctione Concilii Tridentini Sess. 24. de Refor. Matrim. Cap. 2. ne multiplicentur cognationes spirituales, & confusionem patiant in contrahendis matrimoniis.

Ex susceptione enim baptizatorum seu ex officio Patrimos, non secus ac ex collatione Baptismatis, contrahitur cognatio spiritualis, que matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum, si susceptio præcesserit matrimonium. Idque, seu susceptio privatum facta fuerit, & casu necessitatis urgente, seu publice, & solemniter.

Cognatio illa spiritualis ad eos omnes gradus olim protendebatur, ad quos protenditur cognatio carnalis. At ex nova Concilii Tridentini disciplina Sess. 24. de Refor. Matrim. Cap. 2. ad solum Baptizatum illiusque Patrem ac Matrem contracta est. Quare nil movere debet, quod D. Thomas quest. 56. suppl. Art. 4., & 5. docuerit, cognationem spirituales transire a viro in uxorem carnaliter cognitam ante compaternitatem, imo & transire in filios carnales Patris spiritualis. Sic enim ferebat illius aetatis disciplina, que modo variata est; & hoc, ne multiplicatis gradibus cognationis, oriatur confusio in matrimoniis.

Ea porro cognatio spiritualis ab iis duntaxat susceptoribus contrahitur. Primo: Qui pro se & proprio nomine eo officio defunguntur; non qui procuratores sunt aliorum. Secundo: Qui eo funguntur officio in ipsis baptismatis collatione, non in caeremoniarum supplemento faciendum.

Cæterum quia contingit aliquando, Patrem proprium filium et Sacro Fonte suscipere, aut etiam eundem baptizare, a Theologis Jurisque peritis inquiri solet, an tunc cognationem spirituales contrahat cum uxore sua, que usum matrimonii illis impedit. Et quidem videtur quod sic: Susceptor enim, ut diximus, cognationem contrahit cum Patre & Matre baptizati: Mater autem baptizati eo in casu, & uxor est ipsiusmet suscipientis, aut baptizatis; susceptor igitur seu baptizator contrahit tunc cognationem spirituales cum uxore sua: ex quo autem cognatio spiritualis contracta est, copula citra incestum haberi non posse videtur.

Sacri tamen Canones hoc in casu distinguunt, vel enim id evenit in casu extremae necessitatis, ubi non suppetit alius aut susceptor aut baptizator, & tunc aut non contrahitur cognatio spiritualis, aut si qua contrahitur, usum Matrimonii nullatenus impedit. Ita plane decernitur *Cap. ad limina causa 30. quod est Responsum Joannis VIII. Lemeniensi Episcopo datum; aut id evenit extra casum necessitatis, idque scienter, & tunc contrahitur cognatio spiritualis, qua fit ut susceptor aut baptizator ob culpam scienter admittam, conjugale debitum ab uxore petere nequeat; quamquam tamen uxori petenti reddere debeat; quia æquum non est, ut uxor ex culpa mariti, qui temere susceperit aut baptizavit filium, reportet incommo- dum; Ita D. Thomas *suppl. Art. 1. aut demum id evenit extra casum necessitatis, sed ignoranter ignorantia juris; aut etiam quod pejus esset ex malitia utriusque, ut conjugii usus hac arte impediatur; & tunc mutus matrimonii usus nullatenus impeditur. Ita Alexander III. Cap. si vir, extra de cognitione spirituali: Quia ut ait Pontifex: si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis frans non debet patrocinari vel dolus. Quare utro-**

utroque illo casu nulla ab iis contrahitur affinitas; que Matrimonii usum impedit.

Ad præsentis questionis coronidem quaerit ex me fortassis aliquis, num ea baptismata, que extra Ecclesiam, aut etiam intra Ecclesiam, privatum ac sine solemnitatibus conferuntur, ea ipsa sine susceptoribus, & offerentibus ministrata censeri debeant, propterea quod nulli illic appareant, & offerentes, & susceptores? Fuit hac ipsa in Urbe ante menses aliquot, proletrarius nescio quis Theologaster, qui ita perfracte contenderit, vulgata misera scriptura sub ementito nomine publicata. Verum longe aliter statuit Augustinus *Epist. 23. ad Bonifacium*. Ubi Ecclesiam ipsam pueros illos ad baptismum offerre, e sacro fonte suscipere, fideique pro illis profiteri docet; atque ita susceptorum, & patrinorum munus obire. Imo contendit SS. Doctor, in quocumque baptismo solemniter ministrato, homines eomunere defunctos, non suo, sed ipsius Ecclesie nomine defungi; adeo ut illos verius Ecclesia offerat atque suscipiat, quam vel ipsi patrimos, susceprores, & offerentes. *Offeruntur*, inquit Augustinus, *ad percipiendam spirituales gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium; ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offerantur; & quorum sancta, individua charitate, ad communionem sancti Spiritus adunantur. Tota ergo mater Ecclesia, que in sanctis est, pueras gestat, & offert, quia tota omnes, tota singulos parit.*

## PRÆLECTIO XXII.

*Rationes, que Ecclesiam induxerunt ad baptismum certis caeremoniis conferendum, exponuntur.*

Quæ rationes Ecclesiam adduxerunt ad baptismum certis caeremoniis conferendum, paucis aperit Concilii Tridentini Catechismus *cap. de Sanctis §. 18.* Primum quidem, ad majorem illi venerationem conciliandam, tum ad illius effectus apertius declarandos; demum ad fidellum mentem in Spiritualium rerum contemplationem erigendam, fideique, & Charitatem magis ac magis excitandam, ut sileam caeremoniarum illarum aliquas, effectus etiam peculiare in suscipientibus edere, non quidem ex opere operato, (id enim Sacramentorum est proprium) sed ex opere operantis, seu ex fide, & pietate ipsius Ecclesie.

Triplicis generis caeremonie distinguuntur, alie quidem baptismum præcedentes, alie cominantes, alie subsequentes: de quibus per ordinem differemus ad illarum mysticam significationem, & antiquitatem in Ecclesia Catholica reregendam.

Cærimonie baptismum præcedentes sunt novem. Prima: Aquæ baptismalis consecratio. Secunda: Mora baptizati ante fores Ecclesie. Tertia: Nominis impositio. Quarta: Catechismus. Quinta: Exorcismus. Sexta: Frontis aliarumque partium obsignatio. Septima: Manum impositio. Octava: Salis degustatio. Nona: Salivæ ad nares & aures delibutio. Quæ omnia in Rituali Romano servanda præcipiuntur.

Primo itaque, aqua, qua baptizandus est homo, tantilla Chriftimatis admixtione veluti consecratur, ut denotetur, aquam regenerandivim a se ipsa non habere, sed ex contactu mundiffimæ carnis Chrifti, dum in Jordane lustratus est a Joanne. Cærimoniam hanc, jam a tertio Chriftiani nominis saeculo in Ecclesia obrinuisse certum est; cum illius meminerit D. Cyprianus *Epist. 7.*, & S. Basilii *Magnus lib. de Spiritu S. cap. 27.*

Serry Tom. IV.

Secundo, ante fores Ecclesie aliquandiu moratur baptizandus, æqueam in eam inducatur, ut significetur indignum illum esse, qui more fidelium Ecclesiam ingrediatur. Hujus caeremonie vestigium nullum in veteri memoria reperire mihi contigit; reperiet fortassis, qui in ejus lectione magis versatus erit.

Tertio, fit nominis impositio, qua significatur baptizandum Chrifti servituti addici: Nominis enim impositio, Domini signum est. Unde cum Deus vellet ostendere Adamum omnium animantium Dominum esse constitutum, eadem illa ad ipsum adduxit, ut *videres quid vocares ea. Gen. 2.* qua in re dissimulare non possum, gravem abusum in Italiam potissimum irrepisse, quod prophana sæpius nomina in Baptismo imponantur; *Aneæ, Dianæ, Hætoris, Annibalis, Scipionis, Herculis, Lucretiæ; cum sit id a sacris Conciliis maxime vetitum; præsertim Aquisi, Bituricensi, Burdegalsensi, Rhemensi. Quid? quod nec satis probentur a Conciliis nomina Justorum veteris Testamenti.*

Quarto, sequitur Catechismus, seu doctrina fidei, que paucis verbis a Sacerdote proponitur: ut noverit baptizandus, quid sit illi, in Ecclesia Catholica profectendum. Hujus caeremonie ratio petitur ex Chrifti mandato, *Matth. 28. docete omnes gentes baptizantes eos &c.* idcirco doctrina baptismum præmittitur. Meminit hujus caeremonie D. Augustinus *lib. de fide & Operibus. Cap. 6. & 9.*

Quinto loco, fit Exorcismus, ut ex animæ baptizati immundus spiritus abigatur, detque locum Spiritui S. adveniendi. Fit autem hujusmodi exorcismus, non modo verbis execratoris, verum etiam insufflationibus in contemptum & irrisionem Diaboli. Quamquam tamen ritus illius effectus integer non obtinetur, nisi virtute baptismatis. Exorcismo enim reprimatur Diabolus, sed baptismus prorsus opprimitur & fugatur. Ritum hunc jam a secundo Ecclesie saeculo observari cœpisse, liquet ex Tertulliano *lib. de Idololatria*, & D. Cypriano *Epist. 76.*

Sexto, Crucis signo obsignantur frons, oculi, pectus, aures, & humeri baptizandi. Frons, inquam, ut discat Chriftum non erubescere; oculi, ut præparentur ad videndam claritatem Dei; pectus, ut toto corde credat in eum; aures ut audiant verbum Veritatis; humeri, ut libenter tolerant jugum ejus. Ritus hujus mentionem ingerit D. Basilii *lib. de Spiritu S. c. 28.* unde discimus, jam obtinuisse tertio Ecclesie saeculo.

Septimo loco succedit manuum impositio capiti baptizandi, qua significatur, eum Deo victimam esse. Hujus meminit D. Augustinus *lib. de peccat. meritis cap. 26.*

Octavo, sal degustandum baptizato porrigitur, tanquam condimentum sapientiæ, ut careat fetore iniquitatis, & ne corrumpatur a verbibus peccatorum; ut habet Rabanus *Maurus lib. 1. de Institutionibus Clericorum cap. 27.* Et *cap. ex hinc dist. 4. de consecratione.* Invaluerat jam tertio saeculo ritus ille, cujus meminit Origenes *homil. 6. in Ezech. & D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 11.*

Nono, nares & aures baptizandi saliva liniuntur, ad Chrifti D. exemplum, qui illita saliva cæcum natum curavit: ut nimirum baptizandi nares aperiantur ad percipiendum virtutum odorem: ipseque bonus Chrifti odor fiat, ut loquitur Apostolus; utque aures ad percipiendam Dei mandata aperiantur. Meminit ritus hujus D. Ambrosii *lib. 5. de sanctis cap. 2.* Atque hæc de caeremoniis baptismum præcedentibus.

Cærimonie baptismum cominantes quatuor sunt. Prima: Abrenunciatio. Secunda: Sacri olei in-

unctio. Tercia: Fidei professio. Quarta: Inquisitio voluntatis baptizandi.

Baptizandum igitur ad sacrum fontem perdu-  
ctum, ter Sacerdos interrogat, an abrenunciet  
Satanæ, & omnibus pompis ejus? Cui vel ipse,  
si sit adultus, vel Patrinus, si adultus non est,  
respondet *Abrenuncio*. Quia qui Christo conse-  
crandus est, Diabolo debet abrenunciare. Nemo  
enim potest duobus Dominis servire. Ricum  
hunc utpote perantiquum celebrant Tertullianus  
*lib. de Corona militis cap. 3.* & *lib. de Spectac.*  
24. S. Basilius *lib. de Spir. S. cap. 28.* S. Cyril-  
lus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica* 1. S.  
Joannes Chrysothomus *homil. 21. ad populum An-  
tiochenum*. S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 40.* &  
S. Augustinus sæpenumero.

Post hæc, oleo sacro baptizandus inungitur ad  
pectus & scapulas ad instar Athletarum ad pu-  
gnam procedentium: ut noverit bonum illi cer-  
tamen esse certandum contra Diabolum, cui jam  
abrenunciavit. Commendant ceremoniam illam  
S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystag.* 2.  
& S. Ambrosius *lib. 2. de sanctis cap. 2.*

Tum fidei professionem edit baptizandus, seu  
de Articulis symboli sigillatim interrogatus, re-  
spondet ad quemlibet, *Credo*, si sit adultus, alias  
ejus vice respondet Patrinus; fundatur ritus ille  
in verbis Christi *Marci ult. Qui crediderit & ba-  
ptizatus fuerit &c.* de hoc ritu agunt S. Cyrillus  
Hierosolymitanus *Catechesi* 1. & S. Ambrosius  
*lib. de Initiandis cap. 5.* S. Augustinus *lib. 8.*  
*confess. c. 2.*

Demum, cum jam baptismus conferendus est,  
interrogatur baptizandus *vis baptizari?* Quo re-  
spondente *Volo*, subjungit Sacerdos aquam infun-  
dens *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii  
& Spiritus S.* Idcirco porro in antecessu interro-  
gatur, an velit; quia Deus neminem nisi volen-  
tem Militiæ suæ adscribi patitur, ut exponit  
Catechismus Concilii Tridentini.

Ceremoniæ baptismum subsequentes sunt tres.  
Christi inunctio, alba vestis impositio, ar-  
dentis cerei traditio.

Collato ergo baptismate, Sacerdos summum  
Baptizati verticem Chriamate inungit; Quæ qui-  
dem ceremoniæ non modo mysticam habet signi-  
ficationem, descensum scilicet Spiritus S. in ba-  
ptizatum; verum etiam proprium effectum, *con-  
servationem scilicet gratiæ baptismalis*, ut loquitur  
D. Thomas. Hanc a S. Sylvestro fuisse institu-  
tam, vulgo creditur, idque testantur plerique  
Scriptores octavi ac noni sæculi. Utrumque sit,  
fuisse illam perantiquam, ex eo liquet, quod cele-  
bretur a D. Ambrosio *lib. de Sacramentis cap. 1.*  
& Innocentio I. *Epist. 1. ad Decentium*.

Subinde veste Alba induitur baptizatus adultus;  
puerulis vero, si veste indui nequeant, albo fu-  
diario, quod Christinale vulgo dicitur, obteguntur  
in signum recuperatæ per baptismum innocen-

tiæ. Hujus ceremoniæ meminere S. Ambrosius  
*lib. de Initiandis*, & S. Augustinus *serm. 81. de  
Divesibus*. Olim quotquot adulti Catechomeni  
Sabbato Sancto fuerant solemniter baptizati,  
(is etenim dies ad id maxime destinatus erat)  
per totam hebdomadam Paschatis albis vestibus  
utebantur usque ad diem octavam, qua sanctis  
sacrificiis albo habitu induci, aderant. Hinc  
*Dominica in Albis* dicta est.

Postremo, Cereus ardens baptizato, seu Patri-  
nis illum tenentibus in manus traditur. Quo si-  
gnificatur baptizatum implere debere toto vitæ de-  
cursu, quod ait Christus *Matt. 5. Sic luceat lux  
vestra &c.* Et quod habet Apostolus *ad Ephes. 5.*  
*Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Do-  
mino &c.*

Is omnino ceremoniis numero sexdecim, con-  
ferretur in Ecclesia Catholica baptismatis Sacra-  
mentum, quoties solemniter ministratur. Quia  
vero contingit aliquando baptismum privatim  
absque hujusmodi ceremoniis ministrari, vel im-  
minente mortis periculo, vel errore aliquo mi-  
nistrorum, vel ex causa honesta, ut filiis Prin-  
cipum evenire solet; has subinde ceremonias sup-  
pleri ac resarciri mandat Ecclesia. Idque multi-  
plici de causa. Primo; ut servetur uniformitas  
in baptismo. Secundo; Ne Sacramentum sua ca-  
reat solemnitate. Tertio; ut hoc pacto significet  
Ecclesia, se ratum habere baptismum illud, a fo-  
mina forte, aut viro laico in necessitate ministratum.  
Quarto; ut baptizatus habeat deputatum  
sibi publice susceptorem.

Difficultatem duntaxat aliquam movere possunt  
ceremoniæ baptismum præcedentes; quomodo  
possint illæ collato in baptismo adhiberi atque  
suppleri; sic enim non præcedent baptismum, sed  
subsequentur. Verum nec illarum ceremoniarum  
essentia postulat, ut baptismum præmittantur.  
Præmittuntur ergo, ubi totus & integer  
ritus solito more peragitur; subsequentur vero  
per accidens, ubi baptismum casu aliquo præ-  
missum est, quod ea in occasione præcaveri debet  
in exorcismo faciendo. Immutanda scilicet verba  
sunt, ut admonet Rituale Romanum Pauli V.  
Cum enim administrato jam sacro baptismum, ma-  
lignus spiritus depulsus fugatusque censeatur, com-  
pellendus non est, ut exeat de famulo Dei, det-  
que locum Christo Domino, ut habet solita for-  
mula; sed ne ad famulum Dei deinceps redeat,  
neve illi noceat progressu temporis.

Erga eos vero, qui sine ceremoniis, in secta  
aliqua sunt baptizati, (quales profecto sunt Cal-  
vinistæ) non una eademque in tota Ecclesia Ca-  
tholica disciplina est. Suppleri in illis baptismatis  
ceremonias, si ad veram Ecclesiam redierint,  
jubet Rituale Romanum, nisi rationabili de causa  
aliter Episcopo videatur. In Ecclesia Gallicana  
non suppletur; sed cum sola manuum imposi-  
tione reconciliatoria Calviniani recipiuntur.

## DISPUTATIO TERTIA.

## De Circumcisione.

## PRÆLECTIO I.

*Circumcisio quid sit? quo tempore a Deo præcepta?  
Cur in membro genitali fieri iussa?  
Quæritur, demonstratur.*

**A**bsoluta Tractatione de Baptismatis Sacra-  
mento, agendum jam nobis est pro more  
veterum Theologorum, qui Tractationi  
de Sacramento Baptismatis duplicem Appendicem  
addebant; alteram quidem de Circumcisione, al-  
teram de Baptismo Joannis: quia Circumcisio  
Christi Baptismatis figura fuit, Baptisma vero  
Joannis, illius preparatio ac dispositio. Ordia-  
mur itaque a prima, quæ ut loquitur Augu-  
stus *Epist. 57. Justis veteris Testamenti pro Bap-  
tismo fuit.*

Circumcisio definitur carnis præputii abscisio a  
Deo præcepta in signum fœderis initi inter  
Deum & Abrahamum illiusque posteros. Colligitur  
definitio ex *Genesi cap. 17. circumcidetis car-  
nem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter  
me & vos.*

Circumcisio Abrahæ a Deo præcepta est annis  
430. ante legem Moysi datam, ut habetur *ad  
Galatas 3. unde & Christus Joann. 7. ajebat,  
Circumcisionem non esse ex Moysse, sed ex Patribus,*  
hoc est ex illius majoribus. Moysis tamen lege  
merito Sacramentum dicitur, quia quod Abrahæ  
jam pridem inditum fuerat, novo mandato Moy-  
ses iussit Israelitis in lege ab ipso condita.

Cur in ea potius corporis parte, membro scilicet  
genitali circumcisio fieri iussa sit, rationes  
varias assignat D. Thomas 1. 2. *quæst. 102. præ-  
sertim vero 3. part. quæst. 70. art. 3. quas a stu-  
diola nostra juventute tam castis auribus excipere  
velim, quam casto calamo ab Angelico Doctore  
descriptæ sunt loco laudato.*

Prima ratio, cur ea in parte circumcisio fieri  
iussa sit, physica prorsus est. Quia præputium  
pellicula quedam est velut excrementitia, quæ de  
facili a carne sejungitur, & supra carnem attol-  
litur; atque ita absque membri læsione abscindi  
facile potest.

Secunda ratio: ad procurandam Abrahæ poste-  
ris fecunditatem. Fecundior etenim est, & ad  
generationem aptior circumcisus, quam præputia-  
tus; quia semen fortius & validius jaculatur.  
Cum ergo Deus Abrahæ prolem promississet pro-  
pmodum infinitam: ( *numera stellas si potes sic  
erit semen tuum.* ) hoc illis medium præbuit Deus,  
ut finem illum assequerentur.

Tertia ratio: ad minuendam Judæis concupi-  
scentiæ vim, imminuta delectatione venerea. De-  
lectationem quippe veneream longe minorem per-  
cipit circumcisus, quam præputiatus; ea scilicet  
ratione quam modeste satis nequeo indicare: lega-  
tur Tostatus in *Cap. 10. Genes.*

Quarta ratio: ut ea membri virilis castigatio-  
ne, multatione & circumcissione Idololatriam detestari  
Judæi noverint omnium nefandissimam:  
qua gentiles nonnulli, in sacris Priapi, membri  
virilis simulacrum solebant erigere, propter cujus  
excedentem magnitudinem Priapum inter Deos  
collocaverant.

Quinta ratio: quia circumcisio præsignabat de-  
structionem & extinctionem corruptionis humani  
generis per Christum Dominum faciendam, hujus  
enim corruptionis in nobis origo prima est gene-  
ratio carnalis. Et ideo in membro generationi  
serviente, fieri debuit circumcisio.

Ita Doctor Angelicus, de parte in qua circum-  
cisio fieri iussa est late disputat 1. 2. *quæst. 102.  
art. 2. & 5.*

Jam quinquam effectus essent circumcissionis ea in  
parte fieri solita paulo distinctius inquirendum est  
nobis.

Effectus illi bene multi a Theologis recensentur,  
alii quidem indubitati, alii in controversiam  
adducti.

Primus effectus indubitatus erat, ut eo corpo-  
rali signo hebraicus populus a quibusvis aliis gen-  
tibus fecerneretur. Nec est, quod quis objiciat,  
populos ex gente nonnullos circumcidi solitos esse,  
quales erant Ægyptii; atque ita circumcisio-  
nem hebræos ab aliis omnibus populis minima  
distinguisse. Respondetur enim populos illos cir-  
cumcisionem non frequentasse tempore Abrahæ  
cum circumcisio primum a Deo præcepta fuit.

Secundus Circumcisionis effectus pariter indubi-  
tatus erat, ut per carnis præputii circumcissionem,  
spiritualis cordis & animi circumcisio per Chris-  
tum faciendæ præsignaretur: ut habetur *ad Ro-  
manos 2. ad Philipp. 3. ad Coloss. 3.*

Tertius circumcissionis effectus erat deletio Ori-  
ginalis peccati, si qua Ecclesiæ Patribus fides est.  
Maxime vero D. Augustino *lib. 2. de Nuptiis &  
concupiscentia cap. 11. libr. 16. de Civitate Dei  
cap. 17. & Epist. 57. ad Dardanum*, D. Am-  
brosio *lib. 7. in Lucam*, S. Basilio *hom. 13. D.  
Cypriano*, Chrysothomo, Laſtancio, Bernardo,  
ac demum Innocentio III. *Cap. Majores, extra  
de Baptismo*. De Cætero enim circumcissionem ad  
delendum Originale peccatum valuisse, ex sacris  
Veteris Testamenti litteris non habetur. ( a )

Quod enim ex Genesi profertur aliqui: *Mas-  
culus cujus præputii caro circumcisa non fuerit delebitur  
anima illa de populo meo*, non significat homi-  
nem incircumcisum peritum propter originale  
peccatum, quod circumcissione deleri debuisset;  
sed significat unice peritum propter originale  
peccatum, quia *peccatum  
Dei irritum fecit*, ut immediate subjungitur, hoc  
est, quia pacti a Deo initi signum in carne sua  
impressum minime gesserit: quod nihil cum pecca-  
to originali commune habet. Sed etsi ex sacris  
Veteris Testamenti litteris non habeatur aperte,  
circumcisionem originale peccatum delevisse, satis  
superque nobis est, quod ex Ecclesiæ Patribus  
colligatur.

Quartum circumcissionis effectus, de quo maxi-  
me disputatur, est collatio gratiæ sanctificantis.  
Quamquam enim cum priori effectu coherere &  
ille videatur, ( quandoquidem sine gratiæ sancti-  
ficantis infusione peccatum originale remitti, ac  
deleri omnino non potest ) non desuere tamen,  
qui priori concessio, alterum negarint, uti Magi-  
ster Sententiarum, qui peccatum originale sine gra-  
tiæ infusione in circumcissione dimitti contendit.  
Imo non desuere, qui utrumque perinde sint infi-  
ciati: nempe peccatum originale deleri, & Gra-  
tiam